



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem


Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 16. Frequentes in peccatum relapsus poenitentiam ferè impossibilem reddunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

October.



DIES XVI.

Frequentes in Peccatum Relapsus pœnitentiam ferè impossibilem reddunt.

I.

Hebr 6 v. 4. **I**mpossibile est, inquit Apostolus, qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam. Quàm terribilis sententia adversus eos, qui sæpè in peccatum recidunt. Cur ad eam non contremiscamus, cum Deus ipse eam per Apostolum pronuntiârit? si fides nos obligat ad ei credendum, ratio ad ejus veritatem comprehendendam impellit: relapsus voluntatem peccato vinculis tam validis alligant, ut ea rumpere difficillimum sit. Actus frequentati sive boni, sive mali consuetudinem virtutis, & vitij procreant, hoc solo discrimine, quòd mali facilius, validiusque habitum vitij procreant, quippe, qui sensibus nostris magis conveniunt, & inclinationibus animi nostri corrupti magis sint accommodati. Verùm actus ab homine, qui in statu gratiæ erat, frequentati, ut in relapsibus accidit, plus facilitatis,

&

& virium habent ad habitum contrahendum, quia plus habent luminis, & ob hoc ipsum plus etiam malitiæ, & acriorem stimulum ad malum perpetrandum. Sic peccati frequentiores actus habitum constant; habitus dein, inquit S. Augustinus, mutatur in necessitatem; & hæc necessitas pœnitentiam ferè impossibilem reddit. Quàm terribilis relapsuum effectus!

II. Crebri in peccatum relapsus pœnitentiam reddunt impossibilem, cùm media reddant inutilia. I. Nobis eripiunt desiderium, hisce medijs utendi; sive, quòd experientia, quam habemus de modico effectù, quem hæc media à nobis usurpata habuère, eorum nobis fastidium pariat, sive, quòd gratiam toties aspernati, & venià nobis concessà abusi eam petere vereamur, spemque ejusdem obtinendæ amiserimus. Atque ita infelicem necessitatem incurrimus in peccato perseverandi ob impotentiam, qua laborare nobis videmur ex eo rursus emergendi. 2. Etsi hisce medijs uteremur, probabile est, ea vim ampliùs non habitura. Ejus rei rationem S. Paulus affert: *Peccatores, qui relapsi sunt, inquit, gustaverunt*

Odober.

donum cæleste, quasi dicere vellet: homo, qui postquã è peccato per pœnitentiam iterum surrexit, plurimis, & vivacissimis gratiæ luminibus fuit illustratus, suavitatem doni cælestis gustavit, nec desijt se denuò peccato implicare, nulla ampliùs ratione moveri se patitur, ut ex eo iterum emergat: poréstne majus robur ei suppediari, quàm illud, quod habuit, cùm adhuc in statu gratiæ esset?

III. Et verò postquam homo peccato suo liber, gratiam recepit, & lumine, quod huic statui conceditur, illustratus penetravit excellentiam, & dignitatem Mysteriorum, quæ Religio nostra proponit, pondus, & certitudinem veritatum, quas ea docet, æquitatem præceptorum, quæ Deus nobis injungit, magnitudinem remunerationum, quas ea observantibus promittit; postquam Deus ipsi degustandas impertijt solidas illas suavitates, quæ in divino cultu inveniuntur: si omnes istæ tam potentes rationes eum coërcere nequivêre, quò minùs in peccatum recideret, poterùntne eum permovere, ut è lapsu suo resurgat? quænam alia motiva ipsi asferri poterunt? debéntne impertiri aliæ dulcedines, præter eas, quas jam degustavit, alia mysteria, aliæ veritates, aliæ remune-

rationes ei proponi? potestne ipsi dici: Ah! *October.*
si scires donum Dei? si gustasses delicias,
 quibus ij fruuntur, qui tam benigno Do- *10. 4. 10.*
 mino serviunt. Ipse donum hoc jam qui-
 dem cognovit, sed contempsit; delicias
 has gustavit, sed eas fastidivit. Invenie-
 rüne aliquid, quod deinceps ipsum move-
 re possit? Ah! Domine, ad hoc necessa-
 rium est miraculum gratiæ tuæ. At, quæ
 hoc sperare ausim? id non mereor; sed Fi-
 lius tuus, Servator meus, id mihi meritis
 est.

*statue peccatum sollicitè vitare; sed longè
 magis relapsus in peccatum, cum eorum effectus
 adeo funesti sint.*

Impossibile est enim, eos, qui semel sunt
 illuminati, gustaverunt etiam donum cæ-
 leste, rursus renovari ad poenitentiam.
Hebr. 6. v. 4. & 6.

Timeas quidem pro accepta gratia, am-
 pliùs pro amissa, longè plus pro recuperata.
Bern.



DIES